


Wiener Stadt-Bibliothek.

T 60830 A



T

A 600.830

60830
IN HONO-
REM CONIV-

GII VIRI PRUDENTISSI-
MID. VVOLGANGI DROS
SENDORFERI, ET SPONSÆ E-
IUS PUDICISSIMAE ANNAE, HONESTIS-
SIMI VIRI D. IOHANNIS SPISII
CIVIS NABBVRGENSIS FILIAE
CARMEN HEXAMETRVM
SCRIPTVM

A

J. N. 90952

Michaële Fiedlero Iaachimico.

VIENNÆ AVSTRIÆ EXCVDE.
BAT MICHAEL ZIMMERMAN,

ANNO
M D LXIII.



IN HONOREM

CONIUGII VIRI PRUDENTISSIMI D. WOLGANGI

Drossendorferi & Sponsæ eius pudicissimæ
Annae, Honestissimi viri D. Iohannis
Spisij Ciuis Nabburgensis
filie &c.

AV C A nouo sponso de suavi fædere amoris
Ad ripas lstri canimus, tu Christe faueto,
Coniugij sacris dignate accumbere mensis,
Et latices mutare aqueos in munera Bacchi.

Res est grata Deo, & diuina lege probata
Coniugium, cuius manet immutabilis ordo,
Finis & utilitas, namq; alto semina ducit,
Cœlo, quæ nulli transire impunè licebit.
Principio postquam verbo viuente creasset
Omnia, primus homo simul hinc sua nomina, factus,
Accepisset humo, sancti Deus ordinis autor,
Tam firmo geminas constrinxit fædere mentes:
Ille soporato cum carne & sanguine costam
Exerit, ac Euam figmentum nobile condit.
Quam mox adducens Adamo, pronubus ipse
Ceu primo sponso, verbis adiunxit amicis,

Corpo-

Corporis atq; duos vnus iussit vt essent:
Hanc tibi dicit habe, tua sint quæcunq; mouentur,
Imperioq; premas, tibi seruat orbis & aether,
Consortem foveas, tibi sit pars altera cordis,
Ferueat yna caro, concordi viuite lecto,
Ipse ego vos faciam fœcundos prole parentes,
Dulcia coniugij nascentur pignora lecli.
Nam sic visa Deo res est aptissima, nomen
Posset ut ipsius celebrari stirpe nepotum.

Regius ergo piè diuino numinē vates.
Dixit, quod nunquam poterit delere vetus las:
Cui pia contingit Coniunx, quos omine dextro
Confocauit Hymen, dos illi maxima cessit,
Nam melior gemmis est, & preciosior auro,
Quam pietas ornat, virtus, faciesq; decora,
Haurit & à domino cœlestia gaudia summo.
Vnica nanq; Deus mens cum sit, & unicus ardor,
Fonsq; voluptatis, pax & concordia firma,
Omnes quos uno coniunxit pectori mixtos,
Si prece sollicitant casti, nec pectora flammis
Inficiunt vœtis, durum lenire iuuabit
Auxilio præsens, & summi roboris instar
Sufficiet vires animis, qui vincula vitæ
Connubialis amat, nec fidos deserit unquam.

Coniugium quamvis subeunt tristissima quæq;
Diuersasq; animi curas, & tædia secum
Attrahat, horribilis velut si carceris horror

In quo tormentis acti, tot voluere casus
Cogimur, haud aliter quam si committeret vndis
Ignoris vitam, vastiq; pericula ponti
Exciperet coniunx, tamen alta mente reposum
Permanet, esse Deo curæ consortia lecti,
Quæ modo coniunctim, tensis ad sydera palmis
Vota precesq; suas facient, his prouidus ipse
Auereret ærumnæ moles, & dulcia gustu
Reddet amaræ pijs, quos impius ardor amoris
Non adigit, fuso tædas temerare ingales.
Gratia sic etenim leclum diuina tuetur
Sincerum, quam casta mouent castissima sola est.

Hic est fons vitae, vitalis largior vnda,
Vnde venit laßis requies, sine fine voluptas.
Sicut enim fontes emanant perpetè fluxu
Per gelidos riuos, alti sub fornice saxi,
Prætereat quoties ut fessus fortè viator
Exhaustus madidis labris, cui sudor ab æstu
Corpore prorupit, rapido, singultibus imum
Pectus, anhelantemq; animam, labefactaq; cursu
Membra riget, vires rursusq; acquirat eundo:
Sic & perpetuò labuntur flumina fontis
Diuini, quando spes est accisa salutis
Coniugibus, tristis premit & precordia mœror,
Quinetiam prærupta fugæ via, magnaq; damna
Occurrunt, duce te, casus, omnesq; procellas
Euadunt, qui solus enim virtute resistis,

Exaudis

Exaudis gemitus, & tristia verba vocantum.

*Haud aliter magnæ gentis, populiq; parentem
Viribus exhaustum curis, varijsq; periclis,
Flumine cœlesti reficis, cum compare Sara.*

*Qualis Zacharias, cui templum cura tueri
Magna fuit Solymis, & coniunx Helisabeta,
Quos Deus in medijs bellis, vbi sepè coorta est
Seditio, & rabidos inter discordia ciues,
Ensibus & strictis in vulnera viribus hostes
Iabant audaces, nec spes opis vlla dabatur,
Sed miseri mortem tristes instare putabant,
Eripuit, cœlo veniens victoria vicit,
Immites patria prohibens à sede latrones.*

*Huius militie nunc tu quoque castra subisti,
Ac tibi promittit sanctæ coniunctio tædæ
Hæc eadem, sed enim tibi iuncta est candide amice,
Egregia forma virgo, lumenq; iuuentæ,
Quæ fouet occultis incendia grata medullis.
In primis diuina illi super omnia curæ est
Relligio, pietasq; fides, materq; paterq;
Quæ docuere pij, teneris cognoscere ab annis,
Et veri, rectiq; tenax, virtutis amore
Plena pudicitiae, splendetq; modestia vultu:
Quæ non amisit pulluto corpore florem
Virgineum, sed tota fuit sine crimine vita.
Ante cupidinibus nullis contacta, pudorem
Incoluit: Veluti septis qui nascitur hortis*

Flosculus, euincit pecudes, auidasq; iuuencias,
Nec conculcatur pedibus, sed in infima terra
Radicem subigit, cœlesti rore vigorem
Accipit, & Solis, Zephyriq; tepentibus auris,
Crescens è scrobibus summa ad fastigia tendit:
Sic etiam vernans ipsius tota iuuentus
Gratam seruauit, grato cum corpore mentem,
Quodq; refert Annae nomen, felicius omen.
Haud decus eximium formæ natura negavit,
Candida sed facies grato suffusa nitore,
Ore rubro, roseisq; genis, pulchrisq; labellis:
Qualis erat Veneris splendor, donumq; vigoris,
Cum pariter Iuno, Pallasq; in vallibus Idæ
Venissent, Paris ut iudex, certamina forme
Sisteret, & victæ, victricisq; arbiter esset.
Sunt etiam dotes aliae, non auius ordo
Membrorum, tamen omnis abest hoc munere fast.

Hanc propter, si fata darent, perferre labores
Herculeos fas est, & cum discrimine vita.

Sed tua sit, semperq; fuit tibi dedita soli,

Vnum te petiit, tantumq; quieuit in uno.

Felix qui tali sponsæ connubia iungis,
Quæ tam præclaris virtutum dotibus aucta,
Nil magis exceptat quam tecum ducere vitam,
Hæc fortuna venit superum concessa fauore.

Nec minus es felix, quæ tali sponsa marito
Iungeris, egregia formæ, nec stirpis egenti,

Quem

Quem celebrat probitas, & nomina magna parentum,
Et vis ingenij, studiumq; ac ardor honesti,
Qui fidei cultor, iurisq; minister & æqui
Pacem consuluit, reprobos submisit habenis,
Huius ferre iugum discas, placideq; teneto
Leges coniugij, iussisq; assuece mariti,
Cum satus ipse Deo statuat, cum poscat honestas.

Ergo principium felix, felicior adsit
Exitus, atq; pares vobis amor implicit ignes,
Nulla lues odij, litis, nec fœda libido
Perturbent thalamos, verum nox humida terris
Incubat, amplexu suavi componite fœdus,
Dulcia purpureis nunc oscula figite labris,
Ac velut vnanimes certate in amore columbae,
Solute primitias, crebræq; propagine stirpis,
Vitis ab exemplo spargentis brachia, vestras
Cingatis mensas, quæ forma & imagine auorum
Mores & vitam referat, quos gloria fecit
Viuere perpetuo, perfunctos munere vita.
Estè vna, suauemq; vna deducite vitam,
Nec nisi post longos annos, seramq; senectam,
Dirumpant diræ Parcarum fila sorores.

THE
LAW
OF
THE
LAND
AND
THE
PEOPLES
LAW
AND
THE
LAW
OF
THE
WORLD
AND
THE
LAW
OF
THE
UNIVERSE

• 201 •

